



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713

Cap I. Prooemium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

PANEGYRICI,  
DIE NATALI  
ACADEMIÆ THEODORIANÆ  
PADERBORNENSIS,

*Ejus Illustrissimo Principi Fundatori oblata,*

LIBER II.

De Academia Paderbornæ constituta

CAPUT I.

*Proœmium.*



Irificus ille, Princeps Illustrissime, Westphale-  
rum in omnem humanitatem, & scientiam  
liberalem amor, qui tam uberem hodie o-  
mnibus lætitiæ, & gratulationis afferre se-  
getem videbatur, idem nescio quid objecit  
quorundam mentibus, quod eas angat, ne-  
que sinat penitus acquiescere. Prædicant illi quidem tuum  
istum excelsum, totamque, quoad licet, Remp. bene promeri-  
tis comprehendere gestientem animum, meritòq; hanc Aca-  
demiã tuam inter præcipua Westphaliæ decora numerant.  
Verùm ut quisque quod valde diligit, id maximi æstimat, ita  
sunt nonnulli, qui verentur, ne Academiæ dignitati, quam ipsi  
omni sibi ope ornandam esse ducunt, hic delectus abs Te locus  
non ex omni parte respondeat. Negant enim Paderbornam  
tam magnifico Academiæ nomini parem esse. Quibus prin-  
cipio promptum esset respondere, quandoquidem DEI vo-  
luntas ita tulit, ut Tuæ potissimum Celsitudini condendæ

Academiae animus esset, ac facultas, mirum nemini videri debere, si principem Imperii ac ditionis tuae Urbem, praeter alios hoc ornamento decorandam putaris. Cui enim prudenti venire posset in mentem alienam te potius Spartam ornaturum esse, quam tuam? Ad hoc possem istorum orationem refellere, qui Academiam, nisi in ampla urbe, collocari vetant, cum in vicis quoque omni mœnium, ac portarum praesidio nudatis nobilia gymnasia sita fuisse prodantur. Atque haec adeo ex Academicis in Rempubl. non raro fluxit utilitas, ut quae loca humilia, atque abjecta colere coepissent, brevi in visendam magnitudinem, celebritatemque crescerent. Verum hanc nunc quidem oratione non utar. Quamquam enim confidam ex hac institutione Academiae, insignem cumulum ad Paderbornae pristinam dignitatem accessurum, me tamen dies hodiernus admonet, ne in animo cuiusquam hanc patiar opinionem residere, eorum ornamentorum, quibus opus est ad idoneam sedem nobilium artium, ullum ei defuisse. Id quod ego tam firmis, illustribusque argumentis me confirmaturum esse confido, ut tamen si in manu tua fuisset ac potestate, in qua Westphaliae urbe Academiam poneres, ceterisque omnibus consulto Paderbornam antetulisses, nemo id injuriam factum esse, jure queri posset.

## CAPUT II.

*Academiae fundatio Episcopum maximè decet. Paderborna Episcopatum Westphaliae urbium dignitate prima.*

**A**Tque illud quidem nemo non rectè, & ordine factum fatetur, quòd ab Episcopo, & sacro Principe hoc tam salubre consilium, & cura suscepta sit. est enim finitima procuratori sacrorum, litterarum & doctrinae cura. Nam cum Episcopi proprium sit salutaris doctrinae tradendae munus, sitque ei, si quid minus sanum vulgò seratur, omnis culpa praestanda; praclare ex eo ratiocinatur Alexius Comnenus,

*In Novell.  
cap. 6.*

nus,